

QUÆSTIO XII.

DE CAUSA EFFICIENTI.

Dari causas efficientes tam per se notum est, quam dari effectus, et ideo non inquirimus, an detur vera efficientia, etiam in causis creatis, cum constet tam multos effectus eorum dari. Sicut autem in causa materiali, et formali ad quatuor capita reduximus, quæ tractanda sunt, ita in causa efficienti. Potest enim considerari primo ipsa causa operans, tam ut principium *quod*, quam ut principium *quo*. Secundo, ejus causalitas. Tertio, conditiones causandi. Quarto, res causatæ. Et quidem terminus seu effectus causæ efficientis non habet aliquam difficultatem, cum omne illud quod est dependens in esse, sit efficienter causabile, et quod est transmutabile modo corporeo, est etiam effectibile motu physico. Similiter de conditionibus causandi, quæ sunt duæ, scilicet ex parte efficientis existentia, et ex parte passi approximatío non disputabimus in præsentí, quia de existentia egimus supra quæst. vii, et obiter in hac disputatione attingemus, quomodo requiratur ad efficiendum. De approximatione autem infra libro vii, tractandum est, ubi agemus de contactu agentis, et mobilis. Quare in præsentí solum duo restant explicanda, scilicet, de ipso efficienti quid sit, ejusque principio formali operante ut *quo*, et secundo, de ejus causalitate.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit causa efficiens, et quotuplex?

Causa efficiens brevissime definita est a Philosopho in hoc secundo libro,

cap. iii, text. ix et de Generat. tex. lv. Efficiens est *id unde primum principium est mutationis, et quietis*, quod aliis verbis dici solet: *Est id unde incipit motus*. Et alii extensius: *Est principium extrinsecum per se, a quo primo profuit motus*. Per *ly principium* convenit cum reliquis causis, et cum privatione; per *ly extrinsecum* differt a materia et forma, et convenit cum privatione et fine; per *ly per se* differt a privatione, quæ solum est principium per accidens; per *ly profuit* differt a fine, qui solum intentione et metaphora agit, non profluxu, et executione.

Ut autem videamus hæc omnia includi in definitione Aristotelis tradita, solum oportet ejus particulas formaliter, et cum præcisione intelligere. Etenim causa materialis et formalis, non possunt esse primum principium mutationis, eo quod causant requirendo unionem, seu media unionem, quæ autem unita causant, supponunt causam priorum unientem, atque adeo immutantem, quia omnis unio, in aliqua mutatione fundatur, et sic materia et forma non possunt esse primum principium mutationis, siquidem debent esse mutata, ut causent tanquam conjuncta. Per hoc autem quod dicitur principium, si præcise intelligatur, distinguitur a fine, quia finis non est pure principium, sed etiam terminus, nec similiter est principium mutationis, sub formalitate mutationis, sed intentionis ejus, et sic non est principium mutationis, ut executæ, quæ proprie mutatio est; ante executionem enim intenditur mutatio, non est mutatio. Denique, privatio excluditur per illam particulam *primum*, et per illam particulam *unde*; licet enim privatio sit principium, non tamen est primum, quia negatio supponit affirmationem, et subjectum, in quo

est; unde materia est prior privatione, efficiens autem etiam est prius materia in suo genere in causando. Similiter *ly unde*, dicitur originem a quo; privatio autem non dicitur originem sed derelictionem termini a quo, neque est aliquid, et sic ab illa non incipit mutatio.

Ex qua explicatione solvuntur plura, quæ contra hanc definitionem adduci solent. Primo enim objicitur, quia hæc definitio coincidit cum definitione naturæ; dicitur enim natura primum principium, motus et quietis, etc. Ubi *ly primum principium*, applicatur non solum efficienti, sed etiam materiæ et formæ, aliisque principiis entis naturalis, in hac autem definitione idem applicatur causæ efficienti, cum dicitur primum principium, unde est mutatio, et quies; ergo inconvenienter hic vel ibi, ponitur *ly primum principium*. Secundo, quando dicitur primum principium, vel sumitur primum absolute, et simpliciter, vel in determinato genere. Si primum, non convenit definitio efficienti, sed fini; quæ est prima inter omnes causas, vel saltem non omni efficienti, sed tantum primæ causæ, quia illa est primum principium simpliciter, unde incipit motus, a causa autem secunda non incipit, nisi ex subordinatione ad primam. Et dato quod conveniat etiam causæ secundæ, non convenit, nisi causæ principali, quia instrumentum non habet in se principium, unde incipit motus, quia non habet in se virtutem ad effectum principalem, sed accipit a causa superiori. Et tertio, quia ista definitio non convenit omni causæ efficienti, nam causæ creati non convenit, quæ maxime est efficiens, et tamen non est principium mutationis, quia creatio non est mutatio, cum careat subjecto, ut docet S. Thomas 1 p. q. xlv, art. ii.

Ad primum respondetur, naturam dici primum principium motus, non absolute, sed ejus in quo est; et sic est primum principium intrinsecum. At vero causa efficiens est primum principium etiam extrinsecum mutationis. Unde non coincidit ejus definitio cum definitione naturæ.

Ad secundum respondetur, quod sumitur *ly primum* respective ad alia genera causarum, et respective ad mutationem, ut mutatio est executæ, non ut intentæ, et sic primum genus causæ in executione est efficiens, quæ tamen supponit causam finalem, quæ est causa in intentione. Ad id quod additur de causa prima et secunda respondetur, quod etiam causa secunda est primum principium motus in genere efficientis, sed non in omni ordine efficientis, id est, si compararetur genus efficientis ad alia genera causarum, primum genus est efficiens, sed tamen intra ipsum efficiens dantur diversi ordines; et causa secunda non est primi ordinis, licet sit primi generis. Similiter dicimus de instrumento, quod est primum principium motus ministerialiter, non principaliter, quod est esse primum secundum quid; et reductive, quia sic est causa.

Ad tertium respondetur, quod Philosophus posuit nomen mutationis, quia tantum loquebatur de efficiente supponente materiam; erat enim apud veteres creatio ex nihilo omnino ignota, propter illud axioma: Ex nihilo fit. Si tamen extendatur definitio ad causam creatam, oportet etiam extendere nomen mutationis ad mutationem metaphysicam, seu ex modo significandi, quæ salvatur in hoc præcise, quod fiat transitus de non esse ad esse; physica autem mutatio est de non esse ad esse in aliquo subjecto, et hæc mutatio negatur creationi, prima vero non negatur, sed asseritur a D. Thoma citato loco primæ partis.

Circa divisionem causæ efficientis. Primo, dividitur causa efficiens *in causam per se, et per accidens*, de qua divisione agemus in quæstione de subordinatione causarum: causa per se dividitur *in principalem et instrumentalem*, de qua agemus ibidem. Principalis causa plures habet divisiones; dividitur enim in causam primam, et secundam, universalem et particularem, essentialiter subordinatam et accidentaliter subordinatam, æquivocam et univocam, totalem et partialem, liberam et necessariam, physicam et moralem; de quibus divisionibus aliqua attingemus in disputationibus de subordinatione causarum universalis et particularis, primæ et secundæ: de partiali et totali, satis egimus supra tractando an possit duplex causa totalis simul concurrere ad eundem effectum. De æquivoca et univoca aliquid attingemus in sequenti articulo, ubi etiam agemus de efficiente *ut quod*, et *ut quo*: et non tradimus in præsentibus definitionibus omniumistarum causarum, quia non possumus illas explicare, nisi tractentur difficultates, quæ circa illas versantur.

Advertendum tamen est, plures ex istis divisionibus non convenire specialiter causæ efficienti; nam causa per se et per accidens, universalis et particularis, æquivocæ et univocæ, totalis et partialis, etiam in fine, et aliis causis possunt inveniri. Proprie autem ad causam efficientem videtur pertinere ratio principalis et instrumentalis, eo quod ad solam efficientem pertinet agere, per communicationem virtutis, et ideo potest movere instrumentum. Similiter causa moralis ad efficientem pertinet, et ad illam reducit Aristoteles in cap. III hujus libri, agens de causa efficiente, licet motio metaphorica finis, etiam aliquibus moralis videatur, de quo infra quæst.

XIII. Quare D. Thomas in hoc II Physic. lect. v, omnes divisiones causæ efficientis reducit ad quatuor: « Quadruplex, inquit, est causa efficiens, scilicet perficiens, præparans, adjuvans, et consilians. Perficiens est, quæ dat complementum motui, seu mutationi, sicut quæ introducit formam substantialem in generatione. Præparans seu disponens est, quæ aptat materiam ad ultimum complementum. Adjuvans, quæ non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. Consilians autem in his, quæ agunt a proposito est, quod dat agenti formam per quam agit: nam agens a proposito agit per scientiam, quam consilians sibi tradit. » Hæc D. Thomas, ubi obiter explicat causam moralem in consiliante, principalem autem et instrumentalem in reliquis.

ARTICULUS II.

Utrum in causis creatis principium efficiendi ut quo sit accidens?

Supponimus formam substantialem requiri ad operandum tanquam radicale principium, ita ut accidens non sit totale principium efficiendi præsertim alias substantias, licet aliqui oppositum senserint. Est tamen communis sensus Aristotelis, quod forma substantialis sit principium *quo* generationis substantialis ut patet I de Generat. textu LIV et LV, et ibi D. Thomas lect. XX, in fine Expressius tamen id habet Philosophus in II de Anima, textu XXIV, ubi inquit: « Quod id, quo vivimus et sentimus, bifariam dicitur, et perinde atque id quo sumus, et id etiam quo sani sumus, atque videmus, quoddam enim scientiam, quiddam animam dicimus, quippe cum utroque scire dicamur. » Et subdit: « Quod scientia et sanitas

forma quædam et species est, et ratio et tanquam actus suscipientis scientiam, anima autem id, quo vivimus, et sentimus, et intelligimus primo. » Ergo secundum Philosophum anima, quæ est forma substantialis, primum principium est, seu radicale agendi. Et idem docet D. Thomas I part. q. LXXVII, art. I ad 4, et aliis locis. Et ratio manifesta, quia forma accidentalis non potest esse primum principium operandi, quia non est prima ratio et principium essendi; ita enim se habet aliquid in operando sicut in essendo, operari enim sequitur esse, sed principium essendi ut *quo* principale est forma substantialis, ergo etiam est principale principium ut *quo* operandi.

Nec valet dicere, quod accidens in ratione productivi est nobilius, non in ratione entis. Nam contra est, quia si accidens in ratione productivi principalis, et totalis est nobilius substantia, etiam in ratione entis erit, quia principalis ratio producendi est activitas, et hæc constat actualitate, actualitas autem est perfectio entis, ergo si in ratione actualitatis et activitatis est perfectius, in ratione entitatis perfectius est: alias enim quomodo totam entitatem rei producendæ continere posset et dare, si in entitate est inferior?

Quare tota difficultas reducitur ad hoc, an ipsa forma substantialis sicut est principium radicale et primum operandi, ita sit proximum et immediatum, an vero requiratur aliquid accidens superadditum tanquam principium proximum operandi respectu cujuscunque operationis etiam substantialis; de quo est præcipue difficultas, quomodo possit accidens attingere substantiam tanquam virtus operativa. In quo est celebris controversia inter D. Thomam et Scotum. Nam

Scotus in II, distin. XVI, quæst. I, et in IV, distin. XII, q. II et IX Metaph. q. VII, et communiter ejus schola, et Durandus in IV, dist. XII, q. II, et Valles controversia III ad tyrones et alii existimant substantiam se ipsa esse immediatum principium agendi. At vero D. Thomas oppositum tenet I p. q. LIV, art. III, et qu. LIX, art. II, et qu. LXXVII, art. I et quæstioneul. cxv, art. I ad 5, et pluribus aliis locis, et sequuntur communiter Thomistæ, ut Cajetanus locis citatis, et Ferrariensis IV contra Gent. c. LXVI, et alii qui possunt videri in cursu Carmelitanorum hic in disp. X, q. IV, et Suarez disp. XVII Met. sect. II, n. IX.

Sit ergo unica conclusio: De facto substantia operatur medio accidenti tanquam principio proximo et immediato, et de possibili substantia creata non est capax, ut sit immediate principium operandi. Prima pars deducitur ex experientia, quia videmus multa generari distantibus vel absentibus suis agentibus substantialibus, relicta aliqua virtute, seu dispositione accidentali ut patet, cum sol generat aurum in visceribus terræ, a qua tam longe distat substantia solis, et cum ignis reddit ferrum candens calore suo, a quo exurit stупpa etiam extincto igne, a quo processit calor, et ex semine deciso ab animali generatur aliud animal, etiam mortuo, vel absente illo, a quo decimus est, in his igitur casibus non datur substantia quæ immediate operetur illum effectum. Non substantia distans, vel absens, quia hæc non est ibi, ubi est actio et effectus: non substantia illi propinquior, verbi gratia, cum generatur aurum a sole, terra, vel lapis, quæ illi magis appropinquant, quia est omnino dissimilis ipsi auro, et per accidens est, quod ibi sit terra, vel lapis, posset enim esse quodlibet aliud corpus, quod æque bene produceret

illud aurum, si per substantiam ipsam, quæ omnino dissimilis est: et non per virtutem accidentalem superadditam a cælo, debet illud producere. Nec denique ipsa Dei substantia producit istos effectus absente vel distante causa, quia sic tollimus actiones a causis secundis, et ad solum Deum reducimus generationes rerum absentium, vel distantium, cum tamen videamus quod aliquis dicitur vere, et proprie filius alicujus, licet sit absens, vel distans, quando generatur et nascitur; imo rarissime animal est indistans quando filius gignitur perfecte.

Nec valet dicere, quod est dispositivæ ab illa causa distanti, vel absenti, licet non effective. Contra hoc enim est, quia si solum procedit dispositio a tali causa, et ipsa dispositio effective non attingit substantiam, quia accidens est, et ab ipsa substantia cause non producit, quia absens vel non existens est; ergo quantumcunque disponat tamen iste effectus, qui est substantia, nunquam verificari potest, quod sit effectus illius, quia esse effectum est idem quod procedere, et sic tollimus effectus a causis secundis, licet ponamus dispositiones. Ridiculum autem est recurrere ad naturam universalem, cum in unaquaque natura sit particulare principium motus, seu effectus, ut dicit S. Thomas opusc. xxxv.

Secunda pars conclusionis difficilioris est probationis, duplici tamen discursu probatur a D. Thoma. Prima ratio est prima parte, quæstione LIV, articulo tertio, et quæst. LXXIX, articulo primo, quia operatio est actus secundus operantis, sicut esse seu existentia est actus secundus essentia, ergo ut operatio distinguitur ab esse principium quoque operandi debet distingui a principio essendi; constat autem quod in rebus creatis operatis operatio

distinguitur ab esse, siquidem operatio distinguitur ab esse, si quidem operatio debet procedere a substantia existente: similiter contingit operationes multiplicari, et variari, non variato esse, ergo in omni re creata principium proximum operandi distinguitur a substantia, quæ est principium essendi. Primum antecedens constat, quia operatio comparatur ad operantem, sicut actus secundus, et ultimus ad primum, ergo habet se sicut esse respectu essentia. Prima vero consequentia probatur, quia omnis potentia distinguitur penes ordinem ad actum proprium, et per se specificativum illius, quia actus est qui distinguit, ergo cum proprius, et per se actus operans sit operatio, et actus essentia sit existentia, proprium principium operandi erit distinctum a principio per se ipsius esse. Nec obstat, quod etiam accidens habet esse, et sic etiam probaretur de illo, quod primario respicit esse, et indiget alio principio proximo ad operandum. Contra enim est, quia accidens non habet per se esse, sed in alio, et sic non est principium per se essendi, nec immediatum. Principium autem per se ipsius esse est substantia, unde hæc sola dicitur per se existens.

Sed objicies contra hanc rationem: Quia instatur in multis, nam in primis dici potest, quod esse, et operari se habent tanquam actus primarius et secundarius, vel tanquam duo actus inadæquati, operari enim consecutive se habet ad esse, ergo possunt pertinere ad idem principium specificabile. Secundo, instatur in ipsa substantia, quæ saltem remote est principium operandi, et ordinatur ad operationem, si autem ratio facta aliquid probat, etiam probat quod non sit principium remotum, vel non ostendit, quod non sit proximum. Tertio, instatur in ip-

sa substantia, quatenus est principium assivum precipiens accidentia, nam etiam principium passivum specificatur ab actu recepto, sicut activum ab actu elicit, et tamen potest substantia immediate recipere aliquod accidens, licet potentia recipiens, et actus receptus non sint in eodem genere; ergo similiter poterit esse immediata potentia operationis, licet potentia et actus non sint in eodem genere. Ultimo instatur quia ipsæ potentia dimanant immediate a substantia, ergo substantia immediate influit in illas, dimanatio enim causalitas, et influxus est.

Ad primam instantiam, respondetur quod operatio licet sit actus secundarius entitative, quia sequitur ad esse, est tamen primarius in specificando aliquod principium, et non substantiam, quia hæc non specificatur ab alio extra, cum sit absolute in se, et ad se, et sic tota ejus specificatio est ante operationem; ergo præter substantiam aliud est principium specificabile per se ab operatione, et hoc est accidens. Nisi dicatur, quod operationes nullo modo specificant, sed tantum secundario consequuntur ad specificativum; quod est destruere alterum principium in Philosophia notissimum, et a nobis in libris de Anima tractandum, scilicet quod operativa in quantum talia distinguuntur penes operationes, quia essentialiter ordinantur, et determinantur diversa operativa per ordinem ad diversas operationes ad quas per se tendunt. Ergo si substantia se ipsa est operativa, se ipsa est specificabilis ab operatione, vel si non est specificabilis, non est se ipsa operativa.

Ad secundam instantiam dicitur, quod hoc ipso quod substantia est remotum principium operationis, non potest specificari ab illo; tum

quia esse remotum principium est esse principium radicale et virtuale; specificativum autem non specificat nisi formaliter, quia determinat suum specificatum, et species rei non convenit illi radicaliter, sed formaliter; tum etiam quia principium remotum, et radicale stat bene, quod sit indifferens ad plures operationes quæ in illo radicanter, et sic ab illis non specificatur, nec determinatur, sed supponit aliud a quo determinetur, et ad quod per se ordinetur scilicet esse; et sic bene stat, quod remote, id est, radicaliter, et indifferenter ordinetur operationes, et tamen non specificetur ab illis, et sic dari debet aliud principium ab operatione specificandum.

Ad tertiam instantiam dicitur, quod accidentia, licet recipiantur in substantia, non tamen primo, et per se specificant eam, quia supponunt ipsam in esse constitutam, ut sustentet accidentia, non perficitur autem ab accidentibus nisi secundum quid, unde non currit in illis dictum axioma, quod potentia et actus sunt in eodem genere, non enim intelligitur, nisi de actu ad quem per se ordinatur, vel a quo specificatur potentia. Imo nec verificatur in omni specificativo extrinseco, nam potentia, quæ est qualitas, specificatur ab operatione, quæ est actio, et generatio, quæ est accidens a termino, qui est substantia. Unde D. Thomas in 1, dist. vii, quæst. i, articulo ii ad 2, docet: « Quod non oportet quod in eodem genere ponantur potentia, et actus præcipue de potentiis activis. » Intelligitur ergo quod actus et potentia sunt in eodem genere, id est, invenitur actus et potentia in eodem genere, sicut dicit Aristoteles IX Metaphys. quod in omni genere invenitur actus et potentia, ut homo in potentia seu in fieri et in actu,

album in potentia et in actu pertinet ad idem genus, et sic exponit S. Thomas q. de Anima, art. XIII. Vel secundo, actus et potentia dicuntur esse in eodem genere reductive solum, et secundum proportionem, quia potentia proportionatur actui. Vel tertio, sunt in eodem genere, quando ordinantur actus et potentia ad componendum unum per se ut materia et forma in genere entitativo, species et potentia in genere cognoscibili. Nec nostra probatio in hoc axioma fundatur, sed in eo potentia specificatur ab operatione, quæ est distincta a substantia, et substantia non specificatur ab operatione, sed ordinatur ad esse, ergo aliquid est potentia, quod non est substantia.

Ad ultimam instantiam dicitur, quod dimanatio est actio, sed eadem cum productione substantiæ: agens enim immediate producit substantiam, et mediate passiones ejus, quia qui dat formam, dat consequentiam ad formam, et ita dimanatio est ipsa actio agentis tangens immediate substantiam, et mediate passiones, ut dicemus articulo ultimo.

Secunda ratio D. Thomæ sumitur ex I p. q. LXXVII, art. 1. Si forma substantialis est immediatum principium operationum, habens formam, semper habet operationem in actu, sicut habens animam semper est vivens in actu, sed habens formam non semper est actu operans aliquando enim quiescit; ergo ipsa forma substantialis non est potentia operativa. Prima sequela probatur, quia forma in quantum forma est actus non ordinatus ad alium actum, quia est actus ultimus generationis, sed in quantum actus, non est principium operans, alias esset operans actu et non potentia; ergo ratione alicujus superadditi est operans. Quod si dicas, bene posse eundem actum esse formam actu infor-

mantem, et in potentia operantem, ut patet in calore, qui secundum se est actus informans, et potentia calefaciens, contra est, quia calor est potentia calefaciens, quia supponit aliud primum, et radicale, cujus ipse est instrumentum operandi, unde si substantia, cujus est instrumentum, non est semper actu operans, neque ipse calor semper actu operabitur. At vero si substantia se ipsa esset actus operans, cum non esset operans ut instrumentum alterius prioris operantis, sed se ipsa immediate operaretur, cum se ipsa sit actus, se ipsa semper esset actu operans, sicut semper est actu informans; in eadem enim indivisibili entitate fundaretur, tunc operari et informare.

Solvuntur argumenta.

Primo, arguitur auctoritate D. Thomæ qui in III contra Gent. cap. LXIX, ait: « Quod si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habebit propriam actionem, per quam similis forma introducatur in generatione: » ergo concedit formæ substantiali aliquem influxum et actionem, ut distinguitur ab accidentali. Et in III p. q. LXVII, art. III, inquit: « Quod actio formæ accidentalis ita dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ. » Et subdit: « Quod quando accidens separatim operatur, actio, et efficientia formæ substantialis suppletur a Deo, tanquam a primo agente, a quo dependet omnis actio formæ substantialis, et accidentalis. » Ubi etiam aperte distinguit actionem formæ substantialis ab accidentali, quod non verificatur, nisi substantia habeat ac-

tionem aliquam proprie et immediate.

Respondetur in utroque loco attribuere D. Thomam actionem substantiæ non immediate, et proxime, sed radicaliter, et mediate, ut sequenti articulo explicabimus. Unde non negat agere substantiam, mediante accidente, tanquam virtute, ut in illo loco contra Gentiles citato, inquit dicens: « Quod formæ accidentales agunt in virtute formæ substantialis, et sic producunt effectum similem non sibi tantum, sed ei in cujus virtute agunt: » ergo intelligit D. Thomas agere substantiam mediante accidentali virtute.

Secundo, arguitur ratione fundamentali Scoti: Quia substantia est nobilior ipso accidente, et est id, in quo assimilatur genitum generanti, ergo oportet, quod substantia aliquem influxum habeat immediate in ipsam substantiam genitam. Patet consequentia, quia virtus accidentalis semper manet inferior ad attingendum substantiam et assimilandum in illa ipsi generanti; ergo non potest esse tota ratio proxime, et immediate generandi illam. Si dicatur substantiam esse principium radicale et remotum, accidens autem instrumentale et propinquum quod potest esse imperfectius forma genita, contra hoc est primo, quia non obstante influxu instrumenti, semper ipsi causæ principali attribuitur influxus, et motus; tum in ipsum instrumentum, tum in ipsum effectum, ergo per hoc quod dicitur accidens instrumentum substantiæ, non tollitur, sed adstruitur, quod substantia proxime agat. Nam vel influit vere in tale instrumentum, vel non; si non influit, nec instrumentum redditur majoris virtutis, quam habeat ex se, et sic cum ex se sit inferius ad substantiam, nunquam poterit illam attingere. Si vero influit ipsa substantia

in ipsum accidens, utique ille influxus actio quædam est, et sic a substantia immediate dimanat aliqua actio. Secundo, quia non repugnat aliquam substantiam ita perfectam esse, sicut illud conjunctum ex substantia et accidente, nec enim hoc infinitam perfectionem postulat; ergo non est, cur substantiæ creatæ non attribuat operari immediate per se ipsam: nec est aliqua ratio, cur substantiis, quæ de facto sunt, id non attribuat. Tertio, quando passum est distans ab agenti, vel virtus, qua operatur, est illud accidens, quod est in passo, vel quod est in agente. Non quod est in passo; tum quia hoc solum dispositivè se habet ad formam, non effective; tum quia cum non possit accidens operari in abstracto ut calor, sed in concreto ut calidum, si calor existens in ligno, verbi gratia, produceret ignem in eo, lignum in quantum calidum in se produceret ignem, et se corrumpere. Si autem accidens, quod est in agente, producit substantiam, ruit totum fundamentum ad ponendum, quod accidens attingat substantiam, scilicet quia quando agens est distans, oportet quod media aliqua virtute a se diffusa operetur, siquidem ipsa virtus non diffusa, sed in agente existens operatur. Quarto, quia calor de se est virtus sufficiens ad producendum similem calorem, ut causa principalis, ergo etiam forma substantialis ad producendum similem formam, quia non minus est illi proportionata, nec minus activa, et in actu, quam forma accidentalis, respectu similis formæ. Denique, quia potentia radicalis quæ est in substantia, non minus specificari debet et ordinari ad operationem, cujus est radix, quam potentia immediata, et proxima; radix enim ad fructum se habet, ut ad specificativum, ergo si hoc non obstante, substantia potest

esse radicale principium, etiam et proximum.

Ad principalem rationem respondetur solutione ibi data. Ad primam replicam dicemus sequenti articulo; sufficit tunc advertere, quod accidens existens in ipso agente non est instrumentum motum, sed conjunctum ipsi agenti, quod non est proprie instrumentum, sed virtus ipsius operantis, consequens formam substantialem, ut radicem a qua habet totam rationem agendi, ut deducitur ex D. Thoma 1 p. qu. lxxvii, art. 1 ad 3 et 4, et quæst. cxv, artic. 1 ad 5. Virtus tamen ab agente diffusa, et decisa, ipsa diffusionem, qua emittitur sufficienter, dicitur mota ab operante; erit enim ab illo ut virtus ejus, et sic non indiget influxu seorsum proveniente ab ipsa substantia.

Ad secundam instantiam respondetur illam in multis deficere, verbi gratia, oculos cum specie potest videre colorem, intellectus cum lumine gloriæ videre Deum, substantia cum subsistentia superaddita suppositatur, et conjunctum ex istis non est infinitæ perfectionis; ergo poterit dari aliquis oculus ita perfectus, qui sine specie videat; intellectus, qui sine lumine gloriæ sit beatus; substantia, quæ sine subsistentia superaddita propria, vel aliena subsistat. Similiter ergo non poterit substantia sine accidenti operari, licet conjunctum ex substantia et accidente non sit infinitæ perfectionis. Et ratio istorum est, quia hoc petit limitatio rei creatæ, ut indigeat accidente ad operandum, eo quod ipsa operatio in omni creatura est aliquid ei accidentale, sicut existentia, ut ponatur extra causas, si enim operatio esset ipsa substantia creaturæ, operari in actu esset de intrinseca ejus ratione, et sic non operetur præsupponendo totam constitutionem sui, et existentiam, sed

ipsa operatione constitueretur, si quidem pertineret ad ipsam substantiam rei. Quare ipsa limitatio creaturæ exigit hoc, quod ejus operatio accidentalis illi sit, et consequenter, quod etiam potentia proxima elicitiva illius sit accidentalis, ut ostensum est, quia debet specificari ab operatione. Videatur Div. Thomas opusculo lxxix, ubi late ostendit, quomodo nulla creatura potest esse bona, et perfecta, nisi accidentibus superadditis.

Ad tertiam instantiam respondetur aliquos ita existimare, quod quando ignis, verbi gratia, generat ignem per virtutem a se diffusam, non producit effective ignem a calore existente in passo, sed in igne generante, quia calor in passo solum dispositive se habet respectu ignis geniti. Sed obstat difficultas proposita, nam si ignis, a quo calor est diffusus, sit distans, vel non existens; et animal, a quo decimus est semen jam sit mortuum, quomodo potest effective procedere ille effectus, ab igne illo distante, vel non existente, nisi quatenus manet aliqua virtus illius? Hæc autem est in aliquo passo, ergo non potest negari, quod ab illa virtute disponente, effective procedat effectus.

Quare dicendum est, quod virtus diffusa ab agente quæ actuat et determinat materiam passi ad aliquam formam est dispositio ejus. Sed quia virtus diffusa est etiam virtus agentis, ut docet S. Thomas 1-ii, quæst. cxii, art. v ad 3, ideo etiam a tali virtute non repugnat procedere effective effectum sicut ab agente. Et cum instatur, quod ab ipso ligno recipiente calorem, non potest effective produci ignis, et se destruere, respondetur quod ut dicemus in libris de Generat. dispositio existens in uno subjecto non agit effective in ipsum, sed solum materiam ejus disponit formaliter; sed dispositio existens

in una parte agit in sibi immediatam, vel in corpore contiguo agit effective in immediatum, quod tangit, hoc enim modo multiplicatur calor per medium, v. g. per aerem vel lignum agente una parte in aliam, et non idem in se ipsum; et similiter in generatione animalis prius formatur una pars ab immediato agente, et per illam formatur alia. Et pars quæ immediate agit in aliam, agit in virtute primi agentis, v. g. ignis a quo movetur, et a quo diffunditur virtus, et aliquando pars illa sic calefacta, pervenit ad summum calorem et convertitur in ignem, et sic effective agit ignem in partem immediatam, aliquando non ignitur in se propter aliquod impedimentum, et tamen effective operatur usque ad ultimam dispositionem in aliud, ut cum aerem immediatum non accendit, et comburit papyrum vel sulphur distans. Quod si ignis sufficientem calorem non relinquit, et tamen producit ignis, id erit quia suppletur quod deest ab alia causa, vel ab agente universali, et ille dicitur producere ignem. Et sic salvatur, quod in instanti generationis, et si compositum corrumpatur in quo sunt accidentia, datur virtus a qua effective procedat generatio, scilicet ab ea quæ est in parte proxima vel contigua, quæ non desinit esse. Quomodo vero desinentibus dispositionibus antecedentibus ad desitionem compositi corrupti, maneat materia ejus determinata dispositive ad formam, quæ generatur, dicemus lib. i de Gen.

Ad quartam instantiam respondetur ex D. Thoma in 1, dist. v, q. ii, art. 1 ad 3, colorem esse proportionatam virtutem, ut immediate agat alium calorem virtute propria, non propter perfectionem in essendo, aut causando, sed quia est ex natura sua immediata ratio agendi,

et immediate specificabilis ab operatione accidentali, et ejus effectus, quod non convenit substantiæ nisi radicaliter et mediate ut dictum est. Et sic in ente limitato major dignitas est non immediate exequi, et operari, sed tanquam primum, et mediatum seu radicale principium. Et ex hoc patet solutio ad ultimam instantiam. Radix enim, quæ non immediate operatur, non specificatur formaliter ab operato.

Ultimo arguitur: Quia si substantia indiget accidente ad operandum, sequitur quod sit operans per accidens, et non per se, quia ex accidenti est operativa, et consequenter per accidens, quod opponitur ei, quod per se est operativum, unde magis erit operativum accidens, quam substantia, quia per se et non per aliud operativum est, et sic neque substantia erit effectus per se substantia generantis.

Respondetur probare argumentum, quod substantia est per accidens operativa formaliter, et proxime; radicaliter autem, et primo id habet per se, et constituitur in ratione radicalis operativi per modum suppositi per formam intrinsecam; in ratione autem operativi proximi, vel etiam operantis actu per formam accidentalem: quamquam et hoc ipsum quod est per accidens, dicitur dupliciter, vel per accidens, id est, per aliud, vel per accidens, id est, contingenter, et secundum quid, et substantia dicitur operativa per accidens, id est, per aliud, non tamen contingenter, et secundum quid; quia potentia operativa illi conveniunt per necessariam connexionem, sicut propriæ passionem.

ARTICULUS III.

Utrum accidens indigeat peculiari influxu substantiæ ad operandum?

Quia dictum est accidens esse virtutem, et instrumentum substantiæ; quod in virtute substantiæ operatur, explicare oportet, quam virtutem accipiat hoc accidens a substantia, vel quem influxum, ut in virtute illius dicatur agere.

In hac difficultate P. Suarez disp. xviii Metaph. sect. II, num. XXI, tenet formam substantialem influere per se ipsam, et simul cum calore, v. g. in effectum suum, qui est substantia, unde videtur partialem aliquem influxum attribuere ipsi formæ substantiali, qui conjunctus cum calore tanquam cum instrumento, fortificet virtutem accidentis, ut ultra propriam virtutem producat substantiam, quia sola virtus accidentalis non sufficit. Et Conimbricenses II Phys. c. VII, q. XIII, art. III, eandem opinionem tribuunt Thomistis, quatenus dicunt derivari a substantia ad accidentia virtutem quandam quasi intentionalem, quæ re ipsa accidens est; efficacitate vero substantia. Et in hanc sententiam citant D. Thomam III p. q. XIII, art. II, et in IV, dist. I, q. I, ar. IV, et III de Potentia, art. VII.

Cæterum oppositum aperte sentit D. Thomas qui nullam operationem tribuit formæ substantiali, nisi mediante qualitate, quam dicit esse virtutem agendi, ut videri potest in I, dist. III, q. IV, art. II, ubi inquit: « Quod forma substantialis ignis nullam operationem habet, nisi mediantibus qualitatibus activis et passivis, quæ sunt quasi virtutes et potentia ipsius; » et ad secundum inquit: « Quod essentia ipsius animæ est principium operandi, sed me-

diantio virtute, principium autem essendi est immediate, quia non est accidens. » At vero illam virtutem per modum intentionis transeuntis non ponit S. Thomas nisi respectu instrumenti separati, quod ipsa motione principalis agentis applicatur ad agendum, non in ipsa manens, et completa, ut constat in III p. quæst. LXII, art. IV, et qu. LXXVIII, art. IV. Unde communiter discipuli D. Thomæ negant hunc influxum a forma substantiali in accidentalem, sed ipsa virtus accidentalis est id, quo forma substantialis influit, ut docet Cajetanus I part. qu. LIV, art. III, in solutione secundæ rationis Scoti, et Magister Soto II Phys. qu. IV, art. II.

Ratio hujus sententiæ est, quia ille influxus emanans a forma substantiali in accidentalem, non potest esse nisi per modum transeuntis, scilicet quandiu actu operatur, quando enim non operatur per illam virtutem, non influit actu substantia, quia non operatur actu: quod si permanentes substantia influit in ipsum accidens, ergo quando actu operatur, non indiget alio novo influxu, ut per talem virtutem operetur, et hoc est nostrum intentum, quod sufficit illa perpetua conjunctio accidentis ad substantiam, ut sine novo influxu operetur. Si autem est motio actualis, et transiens, non potest esse aliqua substantia, quia sic oporteret quod procederet per aliquam actionem; et non posset illa substantia, qua dicitur motio, actuare ipsam virtutem accidentalem, alias enim ab ipsa substantia agente immediate posset etiam actuari sine medio illo influxu. Si autem est accidentalis ille influxus et motio, non solvuntur difficultates, sed instaurantur, quia istud accidens per modum actualis influxus eandem improportionem habebit ad producendam substan-

tiam, quam ipsa virtus permanens accidentalalis, et influxus ejus, et iterum iste influxus, seu actio non potest esse immediate a substantia, nisi per virtutem superadditam, sicut alia quæcumque operatio, ut supra probatum manet. Denique, superfluit iste influxus, quia virtus permanentes existens in substantia ex ipsa conjunctione permanenti illi subordinatur, et tanquam aliquid substantiæ agit, ergo non indiget novo influxu, ut subordinetur ipsi substantiæ, et participet ab ea rationem virtutis, sicut indiget instrumentum separatum, quod non operatur, nisi ut motum a principali agente, quia per hanc motionem illi subordinatur, et jungitur, ut dicemus in questione de instrumentis.

Sed objicies primo auctoritatem S. Thomæ III p. q. LXXVII, ar. III ad 2, ubi inquit: « Quod actio formæ accidentalalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis ab esse substantiæ; ergo sentit dari ibi duplicem actionem, sicut datur duplex esse, alioquin si esset tantum una actio, quomodo verificatur, quod dependet ab actione substantiæ. Et confirmatur, ex Philosopho II de Gen. tex. IV, ubi reprehendit aliquos, qui dicebant formam substantialem non agere, et dicit ipsos omisisse principalem causam quæ est forma, et quidditas, cum tamen attribuerent corporibus potentias atque vires, quibus instrumentaliter generarent, ergo idem inconveniens sequitur, si formæ substantiali non attribuerimus alium influxum, quam ipsarum virtutum, quæ sunt instrumenta.

Respondetur S. Thomam intelligi de dependentia actionis formæ accidentalalis ab actione formæ substantialis tanquam ab actione radicali, seu suppositali, quatenus substantia est principium agendi

primum et mediatum, accidens autem proximum et immediatum. Et hanc radicalement actionem supplet Deus in accidente separato, quia supplet ejus dependentiam a subiecto. Ad confirmationem respondeatur, quod ut notat S. Thomas super illum locum, Philosophus improbat opinionem eorum, qui dicebant materiam primam informatam primis qualitatibus esse principium transmutandi, et omitebant formam substantialem tanquam alterum principium transmutationis. Ex quo non sequitur, quod forma substantialis habeat actualem influxum in ipsa accidentia, sed sufficit quod radicalement.

Secundo, arguitur: Quia virtus accidentalalis sola, remoto omni influxu substantiæ, non continet in se totum effectum producendum, qui est substantia, alioquin solum accidens esset totale, et integrum principium producendi substantiam, ergo si substantia non habet alium influxum præter ipsum influxum virtutis accidentalalis, totum quod fit in substantia, fit in sola virtute accidentis. Nec sufficit dicere, quod virtus, ut conjuncta vel subordinata substantiæ, operatur ultra propriam virtutem, quia illa conjunctio, et subordinatio non est aliqua virtus absoluta superaddita, sed aliqua nova relatio, vel denominatio inter substantiam et accidens, conjunctio enim relatio est, quod totum nihil activitatis aut virtutis superaddit.

Confirmatur, quia vel accidens se habet ut instrumentum vere, et proprie motum a substantia, vel solum similitudinarie, quatenus substantia est radix illius. Si primum, requiritur vera et propria motio, seu influxus a substantia in accidens, alias non esset vere et proprie instrumentum. Si secundum, talis radicata potius est radicata in esse, quam communicatio operandi,

non est enim aliud quam continentia ipsarum passionum seu virtutum in subjecto, a quo emanant, et sustentantur, et sic cum omnes virtutes aequè dimanant a subjecto, et aequaliter habeant illud pro radice, sequitur quod ex attentione ad unam operationem non impediatur alia, si quidem ad hoc non requiritur aliquis influxus substantiæ, sed sola radicatio virtutum, hæc autem non remittitur ex attentione ad unam, magis quam ad aliam.

Respondetur virtutem accidentalem esse totam virtutem producendi tanquam virtus proxima, et immediata, dependens tamen a radicali, et mediata quæ non habet influxum actualem in ipsam virtutem, sed solum radicalem, alioquin respectu talis influxus, non esset radicale principium, sed etiam proximum. Et quando quæritur, quid sit iste radicalis influxus, respondetur ontitative et in re non esse distinctum ab ipso influxu actuali, qui procedit mediante virtute accidentali, sed distingui secundum dependentiam, et modum, quatenus procedit ab accidente, ut dependente, et radicato in ipsa substantia, ut in principio primario, et consequenter etiam operatio ab utroque pendet, sicut etiam concursus simultaneus primæ causæ, ontitative non est aliud, quam ipsa actio causæ secundæ, ut dependens a prima, ut etiam Auctores oppositi fatentur, et dicemus q. xxv. Similiter ergo influxus substantiæ, et accidentis est idem ontitative, radicaliter a substantia, et formaliter ab accidente, ut dependente, et subordinato illi. Et quando instatur, quod ista subordinatio non addit, nisi quamdam relationem supra ipsum accidentem, respondetur non addere relationem tantum prædicamentalem, sed etiam secundum dici, quæ est fundamentum relationis prædicamentalis, quæ nihil aliud

est, quam aliquis modus, seu perfectio, quam habet accidens, ex eo quod dimanat a substantia, v. g. calor aliquam perfectionem magis participat ex eo quod est calor animalis, quam ex eo quod est calor ignis, et D. Thomas I p. q. lxxviii, art. iv ad 5 inquit: « Quod cogitativa habet quamdam eminentiam in homine non per id quod est proprium sensitivæ partis, sed per aliquam affinitatem, et propinquitatem ad rationem universalem, secundum quamdam refluentiam, et ideo non sunt aliæ virtutes; sed eadem perfectiones, quam in aliis animalibus. » Ecce fatetur D. Thomas unum accidens esse perfectius in uno subjecto quam in alio, ex conjunctione ad tale subjectum, quod utique non dicit solam relationem, sed aliquam modificationem, seu perfectionem vel modum perfectionis superadditum, ratione cuius dicitur operari in virtute substantiæ ultra propriam virtutem.

Ad confirmationem respondetur, virtutem substantiæ accidentalem proprie non esse instrumentum, sed ipsam virtutem principalis agentis, quæ propter radicationem in ipsa substantia, et dependentiam ab illa, ut a principio quod operativo, dicitur habere modum instrumenti. Et ad id quod dicitur de attentione ad quam operationem, quod impedit illam, respondetur hoc non provenire ex influxu actuali substantiæ animæ in potentias, sed ex limitatione potentiarum, quæ in eodem subjecto non possunt simul operari, vel plura operari et attendere, aequè intense et præsertim quando indigent tali temperamento vel dispositione organi, quæ facilius immutatur et consumitur, si una potentia nimis attendat et laboret, et sic non relinquit alteri dispositiones, ad operandum in eadem perfectione.

Ex quibus colliges, qua ratione explicetur, quod forma accidentalis, sive in naturalibus, sive in supernaturalibus sit tota ratio agendi, quia præter ipsam virtutem accidentalem, qua aliquid constituitur polens, operari talem speciem actus, reliquum quod manet, solum est principium radicale operandi, et principium quod, tota ergo ratio operandi ut quo, et ut ratio formalis specifica, est ipsa virtus, sive innata in naturalibus, sive adveniens in supernaturalibus, quia tota species actu supernaturalis est, ergo et tota virtus specifica.

Ultimo arguitur: Quia generatio est actio distincta ab alteratione, siquidem habet distinctum terminum, v. g. calor est terminus alterationis, et ignis generationis, ergo non procedit ignis a solo calore, qui producebatur toto tempore antecedente instans generationis, sed alia actio elicitur in illo instanti, quæ generatio est, ergo ab alio principio, scilicet a substantia; accidens enim, et quidquid accidenti provenit a substantia, est inferius ad producendam substantiam. Confirmatur, nam si actio solum procedit formali concursu ab accidente, solum formaliter et actu penderet ab illo, et non a substantia, et sic substantia actualiter erit in otio, quia actu non penderet ab illa operatione. Et hoc specialem difficultatem habet in actibus vitalibus, qui debent esse a principio intrinseco vitæ, quod est substantia ipsa animæ, quæ si actu non influeret in operationes, nulla esset differentia inter actiones vitales et non vitales, nam etiam principium non vitalium, v. g. calor radiceatur in substantia.

Respondetur generationem esse distinctam actionem ab alteratione, ut probabitur in I lib. de Generat. licet aliqui putent non esse actionem realiter distinctam ab altera-

tione, quia terminus ejus, scilicet substantia per necessariam sequelam resultat posita ultima dispositione, et ita non indiget distincta actione. Quod tamen valde difficile est loquendo de propria resultantia, eo modo quo passiones resultant a natura, nam vel illa ultima dispositio est in genito vel in corrupto; si in corrupto implicat ab illa resultare substantiam genitam, quia tota illa dispositio perit cum corrupto, et sic non magis ex illa resultat substantia genita, quam ex ipso corrupto. Si vero est in ipso genito, non resultat substantia ex tali dispositione, licet sit illi annexa, sed potius dispositio resultat ex illa, quia est propria passio, seu accidens illius. Sed de his in libro de Generatione. Nunc dicimus admissio quod generatio sit actio distincta ab alteratione, non procedere a distinctis principiis, sed a substantia mediis accidentibus, quia istæ actiones ordinate se habent, et ita ex eisdem principiis procedunt, sed alteratio procedit a calore, v. g. ut a principio sibi adæquato, generatio vero ut a principio sibi deservienti ex subordinatione ad substantiam, ex qua habet esse virtus propria substantiæ in agendo, licet inferior in essendo, ut S. Thomas dicit I p. q. xv, art. I ad 5.

Ad confirmationem respondetur operationem actu dependere a substantia mediate, id est, mediante virtute accidentali, quam agit in ipsum terminum, non autem oportet, quod dependeat immediate actualiter, sed radicabiliter; nec est ulla ratio cur ipse terminus, seu effectus productus non immediate producatur a substantia, et dependeat ab illa, si habet actualem concursum seorsum in ipsam virtutem operantem. Neque hoc est substantiam esse in otio, sed vere operari ut principium quod, non ut quo; operatur

enim persuas potentias et virtutes, non sine illis, neque influendo actuante concursu illarum. Et ad id quod dicitur de actibus vitalibus, respondetur differentiam inter actus vitales et non vitales, non esse, quia in illis actu influat substantia, non in istis, sed quia in illis viventia se movent, et non pure moventur, unde oportet, quod a principio intrinseco procedit actio, non solum ut operante, sed etiam ut se movente, quod non procedit in non viventibus, in utrisque tamen substantia operatur, vel movet ut principium radicale et ut *quod*, non proxime et ut *quo*.

ARTICULUS IV.

Quæ sit causalitas efficientis?

Pervulgatum apud omnes est actionem esse causalitatem agentis, tanquam medium quoddam influendi in effectum, nam quod efficiens sola sua entitate non causet, nec effectus sola sua entitate procedat, colligitur ex differentia inter causam efficientem, et formalem, quia in causa formali effectus non est aliud quam ipsa causa, ut communicata, seu unita alteri, unde posita applicatione, seu unione, non indiget medio causante suum effectum. At vero efficiens habet effectum distinctum a se, quem tangit seu immutat tanquam terminum, qui transit de non esse ad esse. Unde indiget præter applicationem ad agendum aliquo superaddito ultra suam entitatem, quo dicitur ista entitas actu immutari, vel emanare a se, sola enim entitas causæ, nec est ipsa entitas effectus immutata, quia habet distinctum effectum a se, nec est ipsa actualis immutatio quia hæc transit, et entitas permanet.

Cæterum, quia in actione multa la-

lent, et ab ea connotantur, invenitur enim ex parte agentis emanatio, ex parte passi immutatio, ex parte effectus ipsum fieri seu motus invenitur relatio seu ordo, et agentis ad terminum, et termini ad agens, restat videre secundam quam rationem, seu formalitatem dicatur actio causalitas agentis, qua denominatur causans. Nam apud Scotum, et ejus discipulos distinguitur de actione, ut est speciale prædicamentum, et ut est ratio causandi ipsi agenti comparative ad effectum, et de prima dicunt, quod consistit in respectu extrinsecus adveniente, de quo diximus in Logica quæst. xix, et hic respectus consistit non in ordine ad effectum productum, sed ad passum, seu subjectum, actio enim ut prædicamentum ex illa, quæ opponitur passioni, et passio pertinet ad subjectum. De secunda vero dicunt, quod formaliter consistit in relatione intrinseca, seu prædicamentali resultante ex positione termini, et subjectata in agente, fundamentaliter autem consistit in ipso fieri effectus, ut tendit ad factum esse. Ita videri potest P. Fuente II Physic. q. iv, art. II, num. XLIII et XLIV. Fundamentum est, quia in causa efficiente invenitur ordo ad effectum fundamentaliter, quod est ipsa virtus absoluta, ex qua sequitur fieri, et tendentia ad effectum, et sic ipsa causalitas efficientis est aliquid absolutum, sed talis fluxus seu fieri non facit, quod causa formaliter respiciat effectum, quia fieri non est in causa ad effectum, sed a causa et habet ipsam causam, ut terminum a quo, id est, principium a quo manat, respicientia autem causæ ad effectum non comparatur ad causam, ut ad principium a quo, sed ut ad subjectum quod respicit effectum: ergo non consistit actio formaliter in ipso fluxu et tendentia, sed in ordine et relatione.

Confirmatur, quia actio remoto motu non est nisi relatio causæ ad effectum, sed per motum, vel per actionem quatenus involvit motum, non potest constitui causalitas efficientis, ergo constituitur per relationem. Major est D. Thomæ III part. qu. xli, art. I ad 2, ubi inquit: « Quod remoto motu actio nihil aliud importat, quam ordinem originis secundum quod a causa aliqua procedit, » et idem docet q. XLV, art. II et III. Minor probatur, tum quia salvatur actio sine motu, ut creatio; tum quia motus solum facit, quod actio respiciat passum, hoc enim transmutatur per motum, non vero quod respiciat effectum, formaliter autem actio debet esse ad effectum.

Alii auctores amissa ista causalitate relativa docent, causalitatem efficientis consistere in ipsa actione ut importat dependentiam, seu emanationem a causa, quod est fieri effectus. Ita P. Suarez disp. xviii Metaph. sect. X, n. viii; Conimbricenses II Physic. cap. VII, quæst. VI, art. II, et alii. Et fundatur in hoc, quia hoc fluere seu fieri est medium inter producents et productum, agens et effectum, est etiam id quo causa intrinsece attingit effectum, quasi via ad illum, ergo habet totum quod requiritur ad causalitatem causæ efficientis, causalitas enim est id, quo constituitur agens in actu secundo, et ita debet mediare inter virtutem, quæ est actus primus, et effectum.

Alii denique constituunt causalitatem efficientis non in ipsa actione secundum se, sed potius in ipso agere, seu exercitio talis actionis, quod nihil est aliud quam ipsum subesse actioni ex parte causæ. Ita plures Auctores, qui citantur in cursu Carmelitano II Physic. disp. X, sectione ultima, et Fonseca V Metaph. q. XIII, sect. III. Ratio est, quia

causalitas causæ est id, quo ultimate dicitur causa operari in actu secundo, ergo non consistit in sola actione considerata, ut est exercite agens, seu in ipso exercere actionem, ibi enim est ultima ratio agendi, unde si actio separaretur ab omni subjecto, non diceretur aliquid efficere per illam; ergo sola actio nisi sumatur exercite, non dicit ipsam causalitatem agentis.

Prima conclusio: Actio ut causalitas formalitate causandi non est relatio, sed aliquid absolutum, et de prædicamento actionis. Duas partes habet conclusio. Prima est negativa, quod non est relatio. Secunda positiva, quod sit de prædicamento actionis. Et notanter dico, esse causalitatem sub formalitate causandi, ut distinguamus a formalitate respiciendi, hæc enim in causa, relatio est. Probatur ergo prima pars, quia si formalitas actionis est relatio, vel est relatio secundum esse, et de prædicamento relationis, vel de alio prædicamento, tanquam relatio secundum dici. Si hoc secundum, oportet assignare quodnam sit hoc prædicamentum, et non invenitur aliud, quam prædicamentum actionis, ut in secunda parte conclusionis ostendemus. Si primum, vel illa relatio fundatur in ipsa virtute causæ, ut est in actu primo, vel ut est in actu secundo. Prima relatio non constituit causam actu causantem, sed causalivam, seu potentem causare, unde semper convenit ipsi causæ, etiamsi actu non operetur, unde respicit effectum non existentem, sed futurum, vel possibilem, quod non stat cum relatione prædicamentali. Secunda vero relatio supponit ipsam operationem, seu actum secundum, quia super illam fundatur, per ipsam autem relationem non accrescit nova ratio actualitatis, sive activitatis ad effectum, sed pura respicientia ad illum; pura

autem respicientia non producit, nec reddit effectum productum, sed respectum; ergo tota formalitas causandi erat ante relationem in ipso actu secundo, licet non tota formalitas respiciendi, quia erat tota ratio, qua redditur effectus productus.

Nec obstat, quod aliqui concedunt causalitatem formalem supponere effectum productum, non tamen fundamentalem, quia ratione fundamentalis causa est prior effectui, ratione autem relationis est simul cum illo. Sed contra est, quia id quod supponit effectum productum, et non est prius, sed simul cum ipso, non est active producens, id est, faciens transire de non esse ad esse, et ponens extra causas, sed positum extra causas supponit, et sic pure respicit, non efficit, formalissima autem ratio causalitatis efficientis est ponere extra causas; ergo quidquid est præter ponere extra causas, non pertinet formaliter ad efficientiam, sed ad respicientiam, et sic esse simul cum effectui non est proprium, et formale causæ, ut causa est, sed ut relativa.

Secunda vero pars conclusionis probatur, quia illa causalitas, ut ostensum est, non est de prædicamento relationis, neque potest esse de prædicamento quantitatis et qualitatis loquendo de formali actione, quia quantitas et qualitas sunt termini actionis, et motus, ut dicitur in quinto libro. Ergo erit de prædicamento actionis, nam de aliis prædicamentis non est dubium, nam substantia est actio, sed agens, passio infertur ex actione, et supponit illam, nec denominat agens, sed patiens, locus vero et situs, et alia prædicamenta nihil habent pertinentem ad constituendam efficientiam. Sed tamen hoc intelligitur de actione creata, nam increata est extra prædicamentum, et est ipsa substantia Dei; similiter non intelligi-

tur de actibus immanentibus, ut pure immanentes, non ut includunt virtualiter actionem transeuntem, nam ut pure immanentes non sunt de prædicamento actionis, eo quod non important motum, sine quo non datur ordo ad passum, et actio sine ordine ad passum non est prædicamentum actionis, ut statim ex D. Thoma dicemus et amplius q. xiv.

Secunda conclusio: Actio non est formaliter causalitas agentis, secundum quod connotat motum, seu ordinem ad passum, neque ut dicit fieri ex parte effectus passive acceptum, sed ut dicit actum secundum ipsius agentis, qui est ipsa emanatio seu fieri active, et secundum denominationem ab. Pro hujus intelligentia est, advertendum, quod actio dicit ordinem, seu connotationem ad effectum, ad passum, et ad agens. In effectu importat fieri seu produci, in passo motum seu passionem, in agente actum secundum, id est transitum de otio ad operationem, quam D. Thomas dicit esse mutationem ipsius agentis in ii, dist. i, q. 1, art. v ad 4. Et quidem ut denominetur agens omnes istæ connotationes requiruntur, nihil enim denominatur agens ante terminum, seu effectum, si enim agit, aliquid debet agere, nec denominatur inferens passionem ante ipsam mutationem seu motum, nec denique agit, nisi sit in actu secundo agendi. Sed tamen per se, et formaliter actio non constituit causalitatem, nisi ut tenet se ex parte agentis per ordinem ad effectum, ut ad terminum, quia oportet, quod denominet agens causare, et operari. Quod si effectus requirat mutationem passi, etiam habebit motum adjunctum. Et hoc præcipue petit actio de prædicamento actionis, quia cum sit illativa passionis oportet, quod dicat ipsum ab, per modum motus. Et ita dicit

S. Thomas in i, dist. lxi, q. iv, art. iii ad 3: « Quod actio secundum quod est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, et cum motu, et ideo non est in Deo actio, quæ est prædicamentum. » Itaque actio prædicamentum, non solum dicit respectum ad effectum, sed etiam ad passum; contraponitur enim talis actio passioni. Ut autem est causalitas efficientis præcise solum respicit effectum, quia solum hoc est causatum; motum vero solum respicit prout effectus mutat passum, et sic in quantum causalitas solum respicit effectum terminative, ut causatum, et agens denominative ut causans. An vero etiam inhæsit in ipso agente in libro tertio dicemus.

Ex quo colligitur, quod causalitas agentis formaliter non potest explicari per ipsum fieri effectus, quia ita fieri explicatur passive, et supponit facere active, ergo habet se ut causa, et causare; causalitas autem agentis formaliter non est causari, nec tenet se ex parte effectus, sed ex parte causæ, eo quod non est ipsa dependentia, a qua effectus dependet, sed actus secundus causandi a quo dependet, ergo causalitas non debet explicari formaliter per ipsum fieri ex parte effectus, sed active ex parte causæ. Colligitur secundo parum referre, quod actio explicetur per modum formæ vel per modum exercitii, ipsa enim forma actionis est forma exercitii agendi, sed significata in abstracto dicitur actio, in concreto vero dicitur agere, seu operari; idem est autem loqui de forma in concreto, et in abstracto quantum ad substantiam, licet significantius, significetur hoc exercitium causalitatis per ipsum agere, et ita dicit D. Thomas in iii Phys. lect. iv, circa finem: « Quod motivum dicitur secundum potentiam, movens autem in ipso

agere, in quantum agit acta. »

Ad fundamentum Scoti, respondetur quod fieri seu fluxus, ut tenet se ex parte effectus passive, non constituit formaliter causam, sed ut tenet se ex parte ipsius causæ, ut explicatum est. Sic enim est formalis ratio causandi, licet non sit formalis respiciendi, et sic causalitas debet formaliter reperiri inter causam, et effectum formalitate causandi: quod fit per ipsam actionem, non formalitate respiciendi, quod fit per ipsam relationem. Et quando dicitur quod fluxus respicit causam ut terminum a quo, non vero, per ipsum causa respicit effectum. Negatur, quod per ipsum non respiciat effectum, non quidem respicientia puræ relationis, sed respicientia causationis. Ita enim est a causa emanative, quod est ad effectum, ut ad terminum causatum per talem emanationem; et sic causare formaliter pertinet ad actionem, respicere formaliter ad relationem, licet id quod est causare formaliter, sit respicere fundamentaliter. Et quando dicitur, quod fieri non est in causa, sed a causa, et sic non denominat illam intrinsece, respondeatur quod fieri, ut est ex parte effectus, non est in causa, sed in effectu, fieri autem per modum actionis ex parte causæ, denominative est in agente, qualenus ab eo emanat, sed entitative, et inhæsit est in passo, vel in effectu juxta opinionem ponentium actionem in passo, sufficit enim quod entitas actionis inhæreat in aliquo, non vero quod secundum omnem denominationem inhæreat. Si vero ponatur actio in agente, nulla est difficultas.

Ad confirmationem respondetur, dictum S. Thomæ intelligi de causa, quæ est in actu ultimo et secundo ad operandum, in tali enim causa remoto motu non datur fluxus aliquis, seu actio per modum ulti-

mæ actualitatis, quia jam ista supponitur in causa, sed solum remanet ordo originis; sed si causa non sit secundum se in actu ultimo, non solum indiget relatione, sed etiam actualitate, quæ est fundamentum hujus relationis, ut dicatur formaliter causare. Cujus ratio est, quia quando dicitur aliquid addere relationem, semper intelligitur de relatione fundata, fundamentum autem istius relationis est actus secundus, non primus; unde posito actu secundo, actio non addit, nisi relationem. Quod si iste actus secundus non possit haberi in causa, nisi mediante aliqua mutatione causæ, requireretur motus ad illam actionem, non ut causalitas formaliter, sed ut id, sine quo talis causalitas non habetur in tali causa, quæ indiget mutatione, ut transeat de actu primo ad secundum.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur quod ille fluxus seu fieri, ut tenet se ex parte effectus, non est formaliter causalitas, sed præsupponit illam, quia non se habet ut actualitas secunda sumpta active, sed ut effectus consecutus passive.

Ad fundamentum ultimæ sententiæ respondetur quod ratio actus ultimi operandi convenit tam ipsi agere in exercitio, quam ipsi actioni, quia ipsa actio exercitium est agentis, et solum differentia est in modo significandi actionis, ut forma in abstracto, ipsius agere ut exercitii in concreto.

APPENDIX.

De dimanatione.

Quædam sunt, quæ dimanare dicuntur a sua causa per modum resultantiæ, et non per modum actionis, sicut propriæ passiones ab es-

sentia, relatio a fundamento, actio ab agente. Et aliqui existimant passiones dimanare ab essentia per veram actionem, et aliquando separatim a productione illius rei, a qua resultat, ut quando aqua calida reducitur in frigiditatem; quam sententiam tenet Pater Suarez disput. xviii Metaphysic. lect. iii, n. iv et v. Alii vero præsertim ex Thomistis dicunt non intervenire actionem aliquam ortam ab essentia in ipsas passiones, sed ipsa actione generantis immediate terminata ad naturam mediate attingit passiones: ipsa vero actio se ipsa egressitur, quia est ipsa egressio effectus ut *quo*. Ita de passionibus docet Cajetanus I par. q. lxxvii, art. vi, in solutione ad 3; Ferrariensis iv contra Gen. cap. lxxv, §. Ad difficul. tactam; Conradus I-II, q. cx, art. iii, §. Sed dicitur; Soto in Logica, cap. de proprio, aliique plures apud cursum Carmelitanum h. disp. x, q. vii. Alii ex schola Scoti existimant passiones, quæ identificantur cum substantia ut potentiæ activæ, et similes, non emanare a substantia, sed fieri ipsa actione generantis. Quæ vero distinguuntur a substantia, ut quantitas, relationes extrinsecus advenientes per veram actionem a substantia emanare. Videri potest apud P. Fuente n. Phys. q. iv, diffic. iv, art. iv.

Respondetur ergo: Dimanationem entitative esse actionem generantis, vel formaliter vel virtualiter, respectu tamen essentiæ, a qua passio dicitur emanare, non est actio, sed connexio passionum cum essentia, quæ postulat ut posita actione generantis, ab ipsa etiam attingantur passiones. Quod ergo emanatio respectu essentiæ non sit propriæ actio, sumitur ex D. Thoma I par. q. lxxvii, art. vi ad 3, ubi inquit: « Quod emanatio proprii accidentis a subjecto non est per aliquam

transmutationem, sed per aliquam naturalem resultantiam, » et idem repetit art. vii sequenti ad primum; distinguit ergo S. Thomas emanationem ab actione, quæ est prædicamentum, quia apud D. Thomam actio quæ est prædicamentum, sine transmutatione, et motu non est. Unde idem est negare quod resultantia illa sit transmutatio, et negare quod sit actio, quia si esset actio, deberet esse eductiva, et unitiva illius accidentis ad subjectum, quod sine transmutatione non fit.

Ratio et fundamentum est, quia ponere novam actionem distinctam a generatione pro emanatione passionum, et superfluum est et impossibile. Superfluum quidem, quia eadem actio, quæ dat formam, dat consequentiam ad formam, actio ergo generantis non sistit in nuda substantia, sed eam producit ornatam accidentibus a quibus dependet substantia, ut existat et operetur; pertinet enim ad generantem ponere suum terminum totaliter, et absolute in esse, et in ea dispositione qua operari possit, siquidem ad hoc est ut operetur, ergo debet illi tribuere illa, sine quibus neque existit, neque operatur, qualia sunt accidentia propria.

Et ex hoc ostenditur, quod sit impossibile emanationem esse actionem distinctam a generatione ortam ex ipsa essentia rei genitæ. Primo, quia ad elicentiam actionis, quæ vera operatio et actio est, requiritur virtus operativa, et non potest immediate a substantia elici, ut articulo secundo probatum est, ergo non potest substantia nuda producere aliquid per veram actionem, alias ruit totum fundamentum ad distinguendum potentias operativas a substantia. Secundo, quia propria passio solet esse principium agendi, ut calor calefacienti, visus videndi. Si ergo per actio-

nem propriam produceretur a substantia, haberet duplicem actionem cum calefacit, aliam producentem calorem, aliam per calorem calefacientem. Deinde ut S. Thomas probat opuse. lxxviii, cap. de proprio, si essentia per veram efficientiam produceret passiones, id faceret per actionem eductivam, creativa enim hic non habet locum cum producat accidentem dependenter a subjecto, propria autem passio recipitur in toto subjecto, verbi gratia, calor in igne, intellectus in anima, ergo si ipsa essentia active producat passionem, quam recipit, secundum idem erit activum, et passivum, in actu, et potentia respectu ejusdem, quod implicat, ut ostendimus in lib. vii, nisi forte dicatur esse actionem immanentem, quia producitur propria passio. Sed hæc neque convenit omni substantiæ, sed tantum viventium, neque est productiva termini, qui ulterius sit principium agendi, sicut solent esse propriæ passiones. Et quando dicit D. Thomas I par. quæst. lxxvii, art. vi, quod subjectum in quantum est in actu, est productivum accidentis proprii, et in quantum in potentia, receptivum, loquitur de productivo non per propriam actionem elicentiam a se, sed a generante, quod mediante ipsa substantia reddita in actu attingit passiones.

Sed objicies: Nam sequitur ex hoc, quod passiones non pendeant ab essentia secundum causalitatem physicam, sed secundum illationem logicam, scilicet secundum connexionem; consequens est falsum, alias non fluere physicæ, nec dependerent passiones ab essentia, sed ipsa essentia esset in otio et quiete, utpote nihil realiter causans: præterquam quod non est assignabile, quid desit illi emanationi, ut sit vera efficientia, cum sit verus effluxus, et originatio unius ab alio, cum ve-

ra dependentia. Sequela vero probatur, quia si dependet physice, et causatur passio ab essentia, in quantum emanat ab illa in aliquo genere causæ dependet, nec est aliud quam in genere causæ effectivæ, licet enim etiam recipiatur passio in substantia, tamen receptio non est emanatio.

Respondetur emanationem esse veram et physicam causalitatem, non tamen distinctam ab ipsa generatione, quæ ut attingit substantiam, dicitur generatio, ut autem mediante ipsa substantia progreditur ad passiones ratione debiti, et connexionis cum illa, dicitur emanatio. Et sic substantia est principium passionum, non ut primo eliciens productionem illarum, sed ut medium, et ratio progrediendi actionem ad illas, ita quod generatio non sistat in ipsa, sed mediante ipsa ulterius transeat ad passiones, et quantum ad hoc est principium ipsius ulterioris transitus, et ratione suæ connexionis cum passione juvat, et conducit ad illum progressum actionis, et sic non est in otio et quiete, sed vere agit actione generationis, non elicita a se, sed terminata ad se et ratione sui ulterius progredientis. Hoc enim contingit, quando aliquod agens ordinate producit multa, prius attingens unum, et mediante illo aliud; illud enim quod immediate attingitur, quatenus est ratio transfundendi actionem ad terminum secundum, dicitur active se habere, ut dicit D. Thomas opusculo citato sicut clavus infixus trahi, si mediante clavo movetur, quamvis totus motus effectivo sit ab homine movente clavum, et trabem, tamen clavus etiam se habet active ad motum trabis, sic subjectum movetur a generatione, et est ratio ut ipsa generatio transeat ad passiones attingendas. Nec potest dici, quod terminus secun-

darius non attingitur ab actione, alias esset primarius. Contra enim est, quia si nullo modo attingitur, nullo modo pertinebit ad ipsam actionem, et sic nec secundarius erit. Et quando dicitur, quamvis conditio deficiat, ut emanatio sit vera actio, respondetur quod respectu generantis nulla deficit, quia vera actio est, respectu vero essentia deficit, quod sit primum principium, unde incipit motus, cum non ab ipsa incipiat, sed a generante.

Secundo objicies: Specialiter de illis passionibus, quæ aliquando impediuntur, et iterum fluunt, ut cum aqua calida reducitur ad frigiditatem, lapis remoto obstaculo descendit, tunc enim illa frigiditas est de novo producta, et distincta numero ab ea, quæ antea corrupta fuit, et ad eam Deus de novo concurrat, cum de novo sit in rerum natura, et in aqua fit novus motus, cum per transmutationem ejus a calore in frigus reducatur aqua, quæ transmutatio non fuit in prima generatione, ergo fit illa frigiditas nova actione, sicut et novo motu, et non actione generantis: quæ jam præterit, et generans amplius non influit, ergo per actionem productam ab ipsa substantia. Confirmatur, quia si passiones se ipsis emanant ab essentia, et non media actione, se ipsis sunt ipse effluxus ab essentia, ergo inseparabiles erunt ab essentia, sicut ipse effluxus et actio inseparabilis est, cum tamen constet quantitatem separari a substantia, cujus est proprietas.

Ad hoc argumentum respondemus infra q. XIII, agendo de motu gravium et levium, ubi ex mente D. Thomæ ostendemus in forma producta per generationem, virtualiter manere generationem, sublatoque impedimento iterum explicari in passionem, et emanationem, virtualiter posse esse motum, si re-

moveat contrarium impediens se.

Ad confirmationem respondetur proprias passiones, quæ non sunt modi, separari per se ab essentia, impedita actione generantis et effluxu emanationis, ne ipsas tangat; vel supplente Deo ipsam sustentationem earum in subjecto, nec enim sunt essentialiter ipsa actio, sed terminus ejus.

Nota.

De subordinatione causarum tam principalis, quam instrumentalis hic agendum erat, sed tractatus iste provecioribus convenientior est quam tyronibus: ad ultimum octavi libri reservatur, ubi agitur de comparatione mobilium ad motum usque ad primum motorem.

QUÆSTIO XIII.

DE FINE.

Eundem ordinem servabimus in explicanda causa finali, quem in reliquis causis, ut primo agamus de ratione formali causandi, et conditione requisita. Secundo, de causalitate. Tertio, de effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum apprehensio finis sit ratio causandi, vel solum conditio?

Duo supponenda sunt. Primum est, finem debere habere rationem boni, et appetibilem ut sit finis, nec sub ratione mali posse aliquid finalizare. Quod licet aliqui auctores negent, nunc tamen id supponimus, ut tradi solet I-II, q. VIII, art. 1. et I p. q. v. artic. IV. Cujus ratio manifeste sumitur ex ipsa essentia finis:

est enim id cujus gratia aliquid fit, si autem sit malum sub ratione mali, hoc ipso habet rationem disconvenientis, et inappetibilem, ergo illius gratia, seu amore nihil potest appeti, quod enim est disconveniens, quomodo potest esse gratum aut illius gratia cætera appeti? Constat autem quod si aliquid appetitur sub ratione mali appeti debet ut disconveniens sibi; nam si est conveniens sibi, licet alteri disconveniens, et malum, hoc ipso appetitur sub ratione boni, non sub ratione mali; unde quæcunque mala etiam ipsum non esse rationem boni induere debent, ut appetantur, vel comparative ad aliquid pejus, vel ex deceptione existimante bonum, sicut non esse sub ratione carendi a præsentis miseria appetitur. Et ininiens odio habetur in se ipso vel per actum fugæ, quia oritur illud odium ex abominatione et fuga disconvenientia, quæ est in inimico, vel actu prosecutionis, quod fertur voluntas in inimicum ut nocivum mihi, et sic odio dignum in se quia mihi bonum est reputare dignum odio, quod mihi est disconveniens.

Secundo, suppono varias esse visiones finis, quas in præsentibus non possumus exacte discurrere, perlinet enim potius ad Philosophum moralem, vel Theologum: breviter dicimus, quod cum finis, et terminus videantur esse idem, sicut contingit dividi rationem termini, ita et finis. Sunt autem quatuor, quæ termini, vel finis rationem habere possunt. Primo, id quod est terminus cujuscunque agentis. Secundo, dicitur terminus, seu finis id quod appetitur quasi terminus inclinationis, et appetitus. Tertio, id cui appetitur, terminat enim appetitum tanquam subjectum, cui aliquid attribuitur. Quarto, id quo consequimur finem, illo enim terminatur